



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 74. Calvinianæ Pseudo - Synodi contra Pajonii deliria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

lielmus Momma, qui ob Cocceianas Sæc. XVII.
 novitates suo officio amotus posteris re- A. C. 1677.
 liquit Oeconomiam temporum, præ-
 lectiones Theologicas, explicationem
 epistolæ D. Pauli ad Galatas & Roma-
 nos, & meditationes in Catechesin
 Heidelbergensem.

§. LXXIV.

*Calvinianæ Pseudo - Synodi contra
 Pajonii deliria.*

Inter plurima Novatorum monstra, Leyd. verit.
 quæ omni ferme decennio Calvinia- Evang.
 na secta, sæcundissima illa commen- triumph.
 torum Parens progerminare solet, haud Erud. Lips.
 infima sunt Pajonianorum deliria: Ho- ad An. 1689.
 rum author erat Claudius Pajonius
 Aurelianensis Præco, & Salmuriensis
 Professor, qui ex Amyraldi erroribus
 (ita ex Monstris monstra procreantur)
 pro ingenii sui intemperantia novam
 hæresin procudit: docuit enim. I. Deum
 ad actiones creaturarum non immediate
 concurrere, sed Deum mundi machi-
 næ in primæva ejus creatione actu li-
 berrimæ voluntatis motum quemdam
 generalem impressisse, vi cujus om-
 nium creaturarum particulares motus,
 etiam contingentes ita dependent,
 fluuntque, ut nova Dei actione, seu
 concursu creaturæ non indigeant.
 II. Cor-

Sæc. XVII. II. Corruptionem hominis, quæ merum
A. C. 1677: morale, & nihil physicum est, principi-
 paliter consistere in malis cogitationibus,
 erroribus & præjudiciis, adeoque etiam peccatum originale consistere
 in inclinatione ad falsa judicia, malasque cogitationes. III. Causas nostræ
 conversionis esse mere morales, non
 physicas. IV. Voluntatem semper se
 qui necessario iudicium ultimum intel-
 lectus practici, sufficere igitur illumi-
 nationem ad voluntatem & affectus
 attrahendos. V. Verbum Dei conti-
 nere demonstrationes morales per se
 absque ullo alio auxilio capaces effi-
 ciendi convictionem plenam & integram
 de veritate mysteriorum, illudque con-
 gruo tempore locoque prædicatum, dis-
 sponente Providentia, posse gratiam
 facere irresistibilem, omnemque mali-
 tiam cordis humani superare. Hæc
 pluraque alia ejusmodi deliria Pajonius
 tam densa propriæ sapientiæ præsum-
 ptione, ac iudicii pertinacia propugna-
 bat, ut etiam morti proximus Calvi-
 nistis suæ sectæ ruinam, ac Dei Vindi-
 cis flagellum præfagiret, eoquod veri-
 tatem a se prædicatam amplecti renue-
 rint. Nihilominus quamplurimos tam
 insulsi ac impii commenti Sectatores
 non modo in Galliis, sed & in Belgio
 numerabat Pajonius; semper enim ho-
 minum

minum ingenia sunt proclivia ad novi- Sæc. XVII.
 tates; hæc ipsa enim novandi cupidi- A. C. 1677.
 tas, nullatenus vero veritatis cognitio
 Luthero, Calvino, aliisque hæreticis
 tantam Sectatorum frequentiam cou-
 ciliabat: Cum autem Calvinistæ in Gal-
 liis suorum numerum tot transfugis im-
 minui reformidarent, hoc anno plures
 Synodos præcipue in Normania, An-
 degavi, & Parisiis habuere, in qui-
 bus Pajoniana dogmata de Providen-
 tia & Gratia damnarunt, & postea Ro-
 terodami declararunt, quod nulla fu-
 tura sit pro ejusmodi doctrinis toleran-
 tia, ac principiorum nimis crassorum
 moderatio: Cur autem Calviniani hi
 Inquisitores non itidem, uti olim Cas-
 selæ, ex plenitudine Pontificiæ suæ
 auctoritatis pronuntiarunt: *Visum* Vid. supra
est nobis, controversias istas non ita com- l. 206 §. 103.
paratas esse, ut dissensum in fundamento pag. 732.
fidei inducant. Sint Pelagianæ, non ta-
 men evertant Calvinianæ fidei funda-
 mentum, seu firmam Salutis spem per
 Dei misericordiam propter merita Christi;
 & Spanhemius in Pajonii doctrina Pe-
 lagianismum non odorabatur. Cur Pajo-
 nio non eandem, quam Calvino, li-
 bertatem nova dogmata excogitandi
 indulserunt, cum tamen ille etiam se a
 Deo illustratum, & vocatum esse, nec-
 non verum sacræ Scripturæ sensum
 post

Sæc. XVII. post Dei auxilium in humilitate imploratum fuisset, ac probe
 A. C. 1678. ratum fuisse assecutum diceret, ac probe
 ex sacris literis cognosceret, Calvinum errasse, & Ecclesias Gallicanas reformatione in Capite & membris, atque in ipsa doctrina indigere?

§. LXXV.

Dantiscanorum furor in Catholicos.

*Gottfrid.
 Hist. cont.
 l. 9. p. 238.
 & 267.
 Relat. Hist.
 Lat. p. 63.
 & seqq.*

ANNO sequenti Lutherani quietis impatientes novis vexationibus Catholicos in Polonia, annexisque ditioribus opprimere moliebantur: præcipue enim Dantisci Templum B. Virgini dicatum & inique Catholicis olim ereptum summa pertinacia eisdem restituere recusarunt, contempta etiam Regis auctoritate, qui iterato hoc Templum vindicare incassum nitentur: tandem vero ab eis non nisi invitatis impetrabat, ut aream in foro liguario Catholicis pro extruenda alia Ecclesia concederent: Acrius autem die tertia Mensis Maij in Carmelitas tumultuabantur Dantiscani Sectarii, cum enim illi pro more in festo inventæ S. Crucis publicam haberent supplicationem, & Catholicus quidam Lutheranus, qui admonitus coram Christi Cruci affixi imaginem caput detegere, petulantius renuit, pileum abstraheret,

mox